



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Apodixes, Sive Demonstrationes Tres Horrendarvm Blasphemiarvm Ecclesiae A Calvino Reformatae, Circa tres primos Symboli Catholici Articulos**

**Bosendorf, Hermann**

**Monasterii VWestphaliae, 1608**

De Omnipotentia Dei Caluiniani. Thesis Qvinta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35415**



## De Omnipotentia Dei Calviniani.

## THESIS QUINTA.

OMNIPOTENTEM. Corrige hoc, mutatisq; literis pauculis, vt consequentia aptè nectantur antecedentibus, fac ORCIPOTENTEM. Præterquam enim quod talè esse Deum iam descriptum, est necesse; etiam apertè Deum omnipotentem nō esse Calvinus asseuerat. Non illi Deus potest, licet extremum suæ potentia exerat, licet sapientissimus Dei filius in cœna nouissima, contrà quam Caluino placuit, asserat, non tamen potest Christi corpus vel simul in cœlis collocare, & constituere sub specie panis ac vini in terris; vel ita infra aut supra cœtos omnes reponere in spatijs vacuis, vt non sit in loco, ac ambiatur superficie corporis continentis; vel sic præsens efficere augustissimo sacramento, vt non æquetur, quantum viro debetur, loco. Cur non faciat Deus, (aiunt apud Calvinum orthodoxi, 4. Instit. ca. 17. §. 24. vt caro eadem plura, diuersaq; loca occupet, vt nullo loco contineatur, vt modo & specie careat? Respondet autem Calvinus: Ibid. Insane cur à Dei potentia postulas, vt carnem faciat simul esse & non esse carnem? nimirum, vt hoc Caluino Deus efficere penitus non potest, ita nec ista. Vt exiret æterni Patris filius Christus ex utero Virginis hunc in mundum Virginali claustro non aperto; vt prodiret è sepulchro lapide ad viam patefaciendam non diuulso; vt intraret ad Apostolos cum fores essent clausæ ostio penetrato; deniq; vt cum triumpho beatas iniret sedes cœlo

Calvinistę  
qui hanc  
potentiam  
cōcedunt  
Caluino  
insaniunt.



*Cælo non perforato, tam non potuit prestare Deus Caluino; Infra in sequentibus articulis. quàm cõde-  
re non potest hominem, qui sit animal rationis expertus.*

THESIS SEXTA.

*Sed nihil hoc admirandum: siquidem Caluini-  
anus Deus non absolutam sed dependentem ordinari-  
amq; tantũ habet potentiam; idq; solum potest, quod  
re ipsa vult facere & facit: id autem facere nõ potest,  
quod non decreuit facere In Cat. breui ad artic. 1.  
hinc illud, 3. Inst. cap. 23. §. 2. Neque commen-  
tum ingerimus absolute potentię, quod sicuti  
prophanum est; ita merito detestabile nobis  
esse debet. Respexit hoc Beza contra Heshusium.  
illud Gabrielis Angeli ad Christi Matrem oraculum  
Luc. 1. Non est impossibile apud Deum omne verbum:  
nec credendum nec vniuersaliter recipiendum  
constanter propugnans. Idem post Caluinum &  
Bezam protestati sunt Parisiis in Colloquio Spina &  
Sureus (Feuardentius lib. 1. Theomachie) Came-  
lum siue funem nauticum per foramen acus transire  
posse pernegantes, ipsamq; veritatem mentitam fuf-  
se volentes, cum ait: Matth. 19. apud homines hoc est  
impossibile, apud Deum autem omnia possible sunt.*

THESIS SEPTIMA.

*Quasi verò illi sit difficile panem in corpus; vinum  
in sanguinem Christi Domini commutare; cui facilli-  
mum fuit, mulierem viuentem in salis statuam; Gen.*